



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii Dei

Hurtado de Mendoza, Pedro

Antverpiae, 1634

Sectio XII. Vtrùm sit possibilis scientia beata maior, qam scientia Christi?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

S. Thom. 1. 2. q. 10. 1. 2. *q. 10.* Consideratur ex parte principiorum: quando actus oritur à principiis indifferentibus ad actum verum & falsum; tunc actus est incertus, licet sic essentialiter verus: quia à principiis habet tale genus perfectionis, ut pro illo potuerit subrogari actus falsus: si autem actus possit successivè esse verus & falsus, est incertus multò clarior.

§. 273. Dico Primò: Omnes actus beatifici sunt æquè certi in creaturis. Probat. Primò: quia communiter censent Theologi actum fidei esse tam certum, quàm visionem Dei: ergo & omnes visiones sunt æquè certæ. Secundò à priori: certitudo est maior aut minor, quo plures sunt causæ attingendi veritatem: sed in omni visione beata est eadem certitudo. Maior probata est vol. 2. disp. 25. Minor probatur: quia obiectum est idem, nempe Deus ut existens: principia sunt eadem, nempe lumen gloriæ, & concursus obiectivus Dei: ergo principia veritatis sunt eadem: est quidem certitudo melior in vno actu, quàm in alio pro actu in æqualitate: quia necessitas ad veritatem est eadem: ideo enim actus est verus necessariò, quia est de Deo ut existente: item etiam est verus necessariò, quia est à principio supernaturali: nec habet alias causas, ob quas non possit esse falsus. has autem habent omnes visiones Dei; item & actus fidei: quia est de revelatione Dei ut existente, & à principio supernaturali.

§. 274. Dico Secundò: Visio creata est minùs certa, quàm increata. Probat. Maior determinatio ad veritatem, & maior ad ea inseparabilitas, est maior certitudo: sed actus increatus habet maiorem determinationem ad veritatem, & maiorem ab ea inseparabilitatem: ergo habet maiorem certitudinem. Probò Minorem: quia visio creata est inseparabilis à veritate contrariè, id est, non potest errare, nec esse falsa de potentia absoluta; in quo convenit cum increata visione: at privativè non est inseparabilis à veritate, quia potest non esse; tunc autem ut non est, non est necessariò vera: increata autem visio est inseparabilis etiam privativè: quia non modo non potest errare, verùm nec potest non esse, & non esse vera. Hæc autem maior determinatio est ad veritatem, & maior ab ea inseparabilitas: quia esse necessariò cum veritate, ita ut non possit non esse, maior inseparabilitas est quàm esse contingenter: quia tota essentia actus necessariò veri est contingens, & separabilis ab attingendo obiectum veritate necessaria. Ex suppositione quòd si actus, non habet novam contingentiam: at illa suppositio est contingens: ergo contingentia absoluta attingit obiectum veritate necessariò in illo actu existente: at actus Dei ex suppositione quòd est, est necessariò verus: item illa suppositio est omnino necessaria: ergo maior est in Deo necessitas attingendi obiectum actu necessario verum.

§. 275. Inquit hæc esse vera in actibus Dei, ut terminantur ad obiecta necessaria; scilicet, quando ad contingentia: quia potuerunt non terminari: quia illa potuerunt non esse. Respondeo etiam illos esse certiores: quia ex suppositione quòd sit obiectum, non possunt non terminari ad illud: at visio creata adhuc ex suppositione obiecti, potest non esse: ergo maior inseparabilitas est etiam in actibus liberis Dei. Non dico visionem creatam esse separabilem à veritate, quasi possit absque illa esse, sed esse minùs determinata ad veritatem: quia potest

destrui cum sua veritate; tunc autem non est determinatio necessariò vera ad obiectum, nec ad veritatem: quia nec per illam tunc determinatur intellectus, nec in illa existit veritas, hæc autem sunt in cognitione Dei: quia necessitate absoluta Deus actu vero determinatur actu ab obiecto. item lucem potest conservari absque actu vero: Deus autem non potest, igitur Deus maiorem habet determinationem ad actum verum, quàm lumen: ergo est magis certus.

SECTIO XII.

Vtrum sit possibilis scientia beata maior, quàm scientia Christi?

§. 276. **H**ic quæstioni ansam dedit B. Thomas q. 10. a. 4. ad 2. & 3. ad 2. quidem: quia censet perfectionem visionis beatantis magis attendi secundum perfectionem luminis, quàm potentiam naturalem. Caietanus in explicando eorrespondens censet à S. Thoma censeri, perfectiorem visionem oriri à potentia angelica, quàm ab humana, si lumina sint æqualia: Hinc intulit naturam angelicam, si assumeretur à Verbo cum æquali lumine ei, quod nunc habet anima Christi, exercituram visionem nobiliorem. Ad 3. autem ait S. Thomas, non repugnare gratiam sublimiorem Christiana habituali: vnde nec lumen sublimius.

SVBSECTIO I.

Opinio Caietani & aliorum, de inequali visione ex potentis inæqualibus, elevatis lumine æquali.

§. 277. **M**aior in 4. dist. 49. q. 11. censuit discrimen actuum supernaturalium, non solum oriri ab inæqualitate luminum, sed etiam potentiarum vitalium: vnde intulit, angelum cum æquali habitu infuso exerciturum meliorem actum supernaturalem. Ab eadem sententia refert P. Molina 1. p. q. 12. a. 6. disp. 2. §. In contraria, Caietanum, Scotum, Durandum atque Ricardum: quos sequitur vers. Ex ijs duobus: Caietanus adductus §. 276. non solum est ab ea sententia, sed pro ea adducit S. Thom. a. 4. ad 2. ubi asserit perfectionem visionis magis considerari ex lumine gloriæ, quàm ex facultate naturali: ergo etiam attenditur ex facultate naturali (intulit Caietanus) nec oppositum docuit 1. p. q. 12. a. 6. cum dixit attendi perfectionem visionis ex facultate gloriosa: hæc enim intellectum includit, qui est gloriosus à lumine gloriæ, ut est illuminatus: Hinc etiam intulit Caietanus, cum æquali lumine fore meliorem cognitionem angelicam humanam, & inter angelicas, eas quæ sunt in angelis natura melioribus.

§. 278. Hæc inieci huc, non ut disputem eam quæstionem, vtrum ex potentiarum naturalium discrimine discriminandi sint actus supernaturales: de qua egi abunde in visione Dei, ubi sedem habet, vide ibi disp. 26. sect. 7. sed ut ostendam, quàm sit alienum à veteri Thomistarum schola, quod recens habet, primum principium facultatem naturalem non influere immediatè in actus supernaturales, sed totam rationem influendi actum esse habitum. Hoc autem est aperte contra Caietanum, & in opinione Caietani contra S. Thomam.

§. 279.

§. 279. Probatu apertè: qui censet ab aequali lumine in potentia inæquali esse visiones inæquales, tribuit potentia naturali virtutem actiuam partialem, & immediatam, nec constituit in lumine totam virtutem actiuam: sed Caietanus, & apud illum S. Thomas, constituit visiones inæquales ex æquali lumine in potentijs inæqualibus: ergo Caietanus, & apud illum S. Thomas, censent totam rationem agendi non esse lumen, sed etiam in intellectu esse immediatam & partialem virtutem actiuam. Maior est clarissima: si enim potentia nihil agit, nisi denominatiuè ab actione solius habitus, quid interest potentiarum diuersitas: in vnaquaque enim reperitur æqualis agendi virtus: ergo in omnibus erit æqualis actus à lumine æquali.

§. 280. Confirmatur. ait Caietanus potentiam acutiorem esse aptam meliori & acutiori visioni: ac si totum acumen esset habitus, omnes potentia essent æquè acutæ: quia tota ratio acuminis esset lumen. Quemadmodum ex diuersitate subiectorum non oritur melior calefactio: quia tota ratio calefaciendi est calor: nec enim aqua calida in thorem calorem producit, quàm ignis, lapis, & ferrum. densitas autem subiectorum non est causa caloris intensioris, sed vt citius fiat: ergo si tota ratio agendi est lumen, non potest ab æquali lumine oriri visio inæqualis. Quod tam certum est apud Thomistas, vt ipsi ita arguant: si intellectus immediatè concurrat ad visionem, sequeretur ab æquali lumine oriri visiones inæquales inæqualibus subiectis. Consequens est falsum: ergo illud ex quo sequitur. Caietanus autem posuit per se notum, de quo non posset dubitari, immediatum concursum intellectus in visionem: ex quo non improbabiler deduxit inæqualitatem visionum ex intellectibus inæqualibus cum æquali lumine. Dixi, non improbabiler: quia disp. 26. de Deo sect. 7. subsect. 2. dico probabilem Caietani sententiam. Hoc autem argumentum factum hoc §. est euidentis quoad acumen, & intensiorem visionis. At verò posse visiones specie distingui ex intellectu varietate, tamen si immediatè non concurrant actiuè, vt probabile probo ea disp. 26. de Deo sect. 7. subsect. 5.

SVBSECTIO II.

Possibilis est alia visio melior quàm communis, de potentia absoluta.

§. 281. **D**ico, de potentia absoluta possibilem esse aliam visionem nobiliores Christi.

stiana communi. Hæc conclusio est clarissimè ^{S. Thomæ} S. Thomæ a. 4. ad 3. ijs verbis: *Licet absolute consideran- q. 10. do possit esse aliquis gradus sublimior secundum infinitatem diuinae potentia.* Ab hac conclusione sunt auctores adducti §. 277. quamuis ob aliud fundamentum: ipsi enim censent ab hoc lumine Christi constituto in angelica natura oriri posse nobiliores visionem, quàm ab anima Christi: sunt ergo ab hac conclusione.

§. 282. Alio ex capite id probat S. Thomas: quia in infinitate diuinae potentia continetur alius gradus sublimior luminis, & gratia: ergo ab illo oriri potest sublimior visio. Antecedens non probat S. Thomas, sed supponit. Probatu autem Primum: quia non repugnat substantia supernaturalis, quæ viribus proprijs permilla, possit videre Deum: sed ea visio esset ex genere suo sublimior: ergo ex parte luminis non repugnat melior visio. Minor probatur: quia principium illius visionis esset multò melius, quàm principium visionis Christianæ: & vt cognitio angeli superioris est multò nobilior ex genere suo, quàm angeli inferioris: ita & visio ab illa substantia producta.

§. 283. Secundò probatur: possibilem est alia gratia multò melior, quàm hæc, cui connaturale sit lumen gloriae, quin per fidem aliquid cognoscat; quæ si potest esse viatoribus, sit per scientiam infusam: item aliqua gratia minimè distincta à charitate, lumine, & scientia infusa. Denique circa idem obiectum formale possunt esse multi actus distincti specie orrè principijs specie distinctis, vt patet in angelis, qui habent cognitiones specie distinctas circa idem obiectum formale propter solam diuersitatem angelorum. Quo responderetur Caietano oppositum censenti in hunc articulum.

§. 284. Rogas, cur ea gratia & visio non sit communicata Christo? Respondeo Primum, mille rationibus id potuisse Deum honestare: quia sua dona partitur vt vult: voluit item caput hominum & angelorum esse vnicum: quia ratione potuisset, hominibus quidem simile in natura humana; iisdem, & angelis simile in gratia habitualibus & actibus supernaturalibus. Secundò Respondeo, Christo præter hanc gratiam & visionem communes esse alias longè nobiliores, vt dixi §. 141. & disp. 48. §. 65. & disp. 26. de Deo sect. 6. subsect. 3.